

ab ortu Solis usq; ad idem instans & residuum (si quod fuerit) est pars horæ inæqualis imperfectæ sequentis, quæ se habet ad horam integram, sicut illud residuum ad quantitatem horæ inæqualis illius diei. Hunc numerum horarum diei inæqualium subtrahe de 12, quoniam 12 sunt horæ diei inæquales, & residuabis numerum horarum inæqualium, quæ ad huc restant ab ipso instanti usq; in occasum Solis.

Horas uero noctis ab occasu Solis elapas, ita capies: Accipe altitudinem alicuius stellæ fixæ per quadrantem, uel aliquod aliud instrumentum, & posita altitudine stellæ in quarta altitudinum super stellam, moue spheram, donec ipsa stella cadat sub quartam altitudinum, in simili gradu altitudinis, quanta est illa stellæ per quadrantem accepta, & hoc in illa parte, in qua fuerit stella, scilicet ante lineam medij cœli, uel post, et tunc pone notam in directo horizontis orientalis in æquatore, uel ut supra extra ad partem notabis &c. Post hæc uolue spheram siue globum uersus partem orientalem, donec ibidem nadir Solis cadat in directo horizontis, & tunc pone iterum notam in æquatore in directo horizontis similiter orientalis, uel extra ad partem notabis ut supra. Computa ergo gradus æquatoris à prima nota in secundam, uel subtrahe, ut supra, quoniam illi sunt gradus arcus æquatoris, qui reuolutus est ab occasu Solis usq; ad instans propositum, quem si per 15 partiaris, exhibit numerus horarum æqualium transactarum ab occasu Solis usq; ad idem instans. Si uero eundem arcum diuideris per quantitatem horæ inæqualis nocturnæ exhibit numerus horarum inæqualium præteritarum. Subtrahe ergo numerum horarum præteritarum æqualium de numero horarum æqualium noctis, & remanebit numerus horarum æqualium, quæ adhuc restant ab illo instanti, usq; ad ortum Solis. Subtrahe etiam numerum horarum inæqualium transactarum de 12, & residuabis numerum horarum inæqualium ab illo instanti usq; ad ortum Solis. Exemplo minime opus fore crediderim, cum omnia hæc facilia, & supra abunde tractata sint,

Horas æquales ad inæquales & econuerso conuertere.

CAPVT XXIX.



Summam horarum æqualium multiplica per 15, & productum diuide per quantitatem horæ inæqualis per doctrinam 33 inuentam, & exhibit numerus horarum inæqualium, & residuum (si quod fuerit) arcum horæ non completæ inæqualis manifestat. Inæquales uero horas ad æquales conuertes hoc pacto: Summam horarum inæqualium multiplica per quantitatem horæ inæqualis, & productum diuide per 15, & elicies numerum horarum æqualium, & quod residuum fuerit, erit pars horæ æqualis imperfectæ. Exemplum primæ partis: Sit dies horarum 8, cuius diei arcus est 120 graduum, qui diuisus per 12 proueniunt 10 æquatoris, qui uni horæ inæquali illius diei debentur. Pono igitur, quod quis scire uellet horam inæqualem huius diei post meridiem hora secunda æquali, quæ est sexta hora communis, & æqualis post ortum Solis illius sapredicti diei, Multiplicet is summam horarum æqualium scilicet 6 per 15, & uenient gradus 90, quos diuidet per quantitatem horæ inæqualis illius diei, scilicet per 10 gradus, & exhibit 9 hora inæqualis ab ortu Solis elapsa, ad usq; horam secundam post meridiem,

Horas inæquales, uel planetarias aliter inuenire.

CAPVT XL.